

Rector Universitatis Rostochiensis M. Hermannus Becker/ Inf. Math. Prof. Publ. & ad D. Jacobi Pastor, Ad Funus Quod Viro ... Ulrico AmseIn/ Philos. Magistro & ad Mariae Cantori vigilantissimo, Vidua maestissima Hodie hora prima paratum exoptat : Omnium ordinum Cives Academicos, prolixè officioseq[ue] invitat ; [P.P. sub Sigillo Rectoratus die 19. Aprilis Anno 1672.]

Rostochii: Kilius, [1672]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74272588X>


Druck Freier  Zugang





Becker, H.,
in Ulricum Amsel.

R. 1672.

29







21.

R E C T O R

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

M. HERMANNUS

Becker /

Inf. Math. Prof. Publ. & ad D. Ja-

cobi Pastor,

Ad FUNUS

Quod

VIRO Clarissimo atq; Doctissimo,

DN. ULRICO

Amfeln /

Philos. Magistro & ad D. Mariæ

Cantori vigilantissimo,

Vidua mæstissima

Hodie horâ primâ paratum exoptat

Omnium ordinum CIVES ACADE-
MICOS, prolixè officio seq; invitat.



ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr.

21

RECTOR
UNIVERSITÄT ROSTOCK
M. HERMANNUS
Inf. Math. Prof. Publ. & d. J.



PHIL. MAGISTRO & d. J. Martii
Omnium ordinum CIVIS ACADEMIAE
ROSTOCKENSIS



Ohorrescimus certe, & gallico gelu frigidior metus, intimum calorem tentat, cum incommoda senectutis ab *Ecclesiaste cap. 12.* graphicè depicta, attentissimè pensitamus; Ast haud mediocre vicissim affert solatium, quod ibidem annectitur *Spiritus autem ad Deum redit qui dedit illū.*

Et hoc est quod omnes senectutis molestias lenire potest, scilicet, quod proprii gradu, unionem animæ nostræ cum CHRISTO, in coelis peragendam attigerimus, & quo magis redditur ineptum corpus; hoc anima magis apta ad colendam cum Deo communionem efficiatur. Stoici insanabilem senectutis morbum persentiscentes, educere animam laborantem, & finem non operiri, sed manu facere satius existimarunt; & hanc insanam consuetudinem in Ceo insula Græciæ servatam se advertisse, tradit Valerius Maximus. Hinc & Seneca; *Non relinquam senectutem, inquit, si me totum mihi reservabit, totum autem ab illa parte meliori. At si cæperit concutere mentem,*
si par-

*si partes ejus convellere, si mihi non vitam reliquerit, sed
animam, profliam ex edificio putrido ac ruenti. Cæterum
Nobis, qui ex sacrarum literarum, & sanioris Philoso-
phiæ fontibus, longe meliora hausimus, occupare
fari diem grande nefas est, multoque magis ex tristi
senectute pullulantia mala forti pectore concoqui-
mus, donec signum dederit *Dux vita & necis*; quin-
imo intrepidi incolimus regionem istam, in quâ nos
collocare illi allubuit. Quemadmodum enim mili-
tem in bello, injussu Imperatoris è statione & præsi-
dio discedere haud oportet, ita ex vita, injussu DEI
emigrare, impium detestandumque est. *A Solone*
equidem senectus *Vita Hiems* salutatur; at veri Chri-
stiani, hanc hiemen non horrent, certissimè persuasi,
ver novum amœnissimumque æternum duraturæ
vitæ & felicitatis subsecuturum. Qua indubitata spe
cum **FUNCTUS** Vir Clarissimus atque Doctissimus
DN. M. ULRICUS AMSELIUS, animam hæte-
nus lactasset suam, innumeros etiam impetus seniles
impigrè excepit. Nos vero ejus curriculum Vitæ, quod
ipse ante obitum, memor mortalitatis, propriâ dex-
trâ, metrico attamen stylo, consignavit, hic verbote-
nus inferemus. Sic enim *functus*:*

*Vixi, quem dederat cursum fortuna, peregi.
Rostochium nato cunas mihi præbuit almas,
Anno milleno, sexcenteno, atq; secundo,*

Quarto

Quarto Julii, mox Sacra sum tinctus in undâ.
ANDREAS genitor, MARTHA HILDERMAN-
NIA mater;

Hæc matronali fuerat virtute virago,
Ut verè laudem mereatur fama superstes.
Ille fuit Roseâ princeps tibicen in urbe,
Vir bonus ac præstans, cui Styria præbuit ortum.
Claret Avus bello, proavus clarent atavusq;
Et sub Casareis olim meruere manipulis.
A teneris pietate simul studiisq; docebar,
Crevis jamq; modò densus me ceperat annus,
Linquere cum jubeor patriamq; domumq; paternam.
Westphala me primum Regio suscepit ad annum,
Inde retrogresso studiis intendere mentem
Perplacuit porrò; Schola tùm Pomerana patebat
Anclami cupido Sophia commercia nosse,
Hospitiumq; mihi gratis dabat illa volenti.
Hinc me Güstrovium Schola Principis ampla vocabat,
Quam commendarant ibi Pastores, Ephorusq;
Bachmeisteriades Doctor, Michaël Samuelque.
Implerat ternum spatiosum Cynthia cursum,
Quando discedens orbatu utroque parente
Per mare per terras per summa pericula veni
Dantiscum; dein me vetus Odera Francofurtum,
Illa suis celebrata Viris Academia cepit,
Perq; duos ibidem tenuit parvitque Novembres.
Avocor hinc tandem, patriumq; revisere fundum
Cogor

Cogor, nam quò fata trahunt retrahuntque sequamur.
 Hic neque complures licuit subsistere in annos,
 Propter paupertatis onus, mortemque parentum.
 Gustrovium redii, Schola nam, ceu foverat antè
 Discipulum, tum me Praeceptorem sibi legit;
 Ornavi spartam, formans juvenesq; senesque,
 Sapèque publicitùs Sacrà sum fatus in aede;
 Testatur Schola, templorum quoque sancta cathedra.
 Denique de Socia coepi tractare fideli;
 Annuit his votis Dominus, dedit atq; MARIAM,
 Sic satis ornatam sociam, castamq; piamq;
 Huic ego conjunctus fermè sex lustra peregi,
 Illa meas ades Nato Natâq; beavit
 Me patre, sed rursum mors abstulit aspera Natam.
 Natus adhuc superest, quem seros servet in annos
 Cælorum Dominus, mundi Servator & altor.
 Hanc sociam dolor ah! dolor ah! mihi parca necavit
 Sed dedit omnipotens aliam, mea qua modo fata
 Luget, cum tenera natâ de fœdere tali
 His quoque adesse velit Dominus solamine Sancto,
 Det matri natâq; salubria cunctaq; fausta.
 Bis tria lustra simulq; duos absolverat annos
 Aurea fax cæli, quando mihi laurea ferta
 Variades Musæ titulumq; dedere. Magistri.
 Quadraginta annos Cantoris munera feci,
 Gustrovi lustrum, Rostochi his tria & unum,
 Vos Superi nostis, quanto sudore labore!

Nunc

*Nunc jaceo, taceo, cedens mea scepra sequenti :
 Laudo Deum patrem, Natum flamenq; sacratum,
 Quod mihi concessit vires, ac robora abundè,
 Quodque meis humeris, mala cuncta averterit idem,
 Quæ peperit mundus technis ac Dæmonis astus.
 Nunc liber curis, omniq; labore quiesco
 Inter S electos Jovæ, sine fine triumpho,
 Nunc Salvatorem mundi super æthera canto.*

Huc usque *functi* manus perrexit, qui & ante
 obitum, ex filio suo ULRICO *Amseln* / Judicii Tute-
 laris Secretario eximio, ejusdemque Conjuge MA-
 RIA *Priestaffen* / MARIAM ELISABETEN, EN-
 GELEN MARGARETAM, & ULRICUM ALBER-
 TUM, adeoque tres nepotes vidit; Ingravescente
 ætate, & præsertim ante biennium, NOSTRI vires
 paulatim decrescere cœperunt, usque adeo ut ante
 8. Septimanas, non solum inter privatos parietes lati-
 rare, sed & lectum lethalem occupare coactus sit. Ad-
 movebantur quidem medicamenta, quæ depellendo
 morbo, qui tandem in intumescentiam corporis de-
 sinebat, factura videbantur, sed frustra omnia tentata
 sunt, Simulac autem hoc animadvertisset FUNCTUS,
 protinus mentem suam, ad summum Deum flexit, ac-
 cersitoque ante quatuor septimanas Dn, Confessiona-
 rio, Viro plurimum Reverendo, atque Clarissimo,
 DN. LUDOVICO BARCLAI, Archidiacono ad
 D. Maria

D. Mariæ merentissimo, Collegaque Nostro honoratissimo, sua peccata devotissimè confessus est, qui decumbentem cælestibus epulis, tanquam ultimo viatico instruxit. Quibus sumptis, NOSTER reliquum vitæ spatium piè peregit, decimusque dies Aprilis Seni in ætate 70 annorum constituto, finem miseriarum intulit, postquam per 40. annos Ecclesiæ atq; Scholæ publicæ suam navasset operam: Cum itaque Functi Exuviæ, terræ hodie concedendæ sint, nostri Officii est, VIRI ACADEMIÆ, deductionem funeris frequentiam nostrâ exornare, atque ita ultimum humanitatis præstare officium, quod abs vobis etiam atque etiam enixè contendimus.

P. P. sub Sigillo Rectoratus die
19. Aprilis Anno 1672.

*Convenietur in Æde D. Mariæ dicatâ
horâ primâ.*



